Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



149

Ezech.

Ecce ego sup te magog principem capitis mosech et tubal et conuertam te et ascendere faciam te de latibus aquilonis et adducam te sup montes israel et percutiam arcum tuum de manu sinistra tua et sagittas tuas de manu tua dextera eiciam. Sup montes israel cades tu et omnia agmina tua et populi qui sunt tecum feris auibus omnique volatili celi et bestiis terre dedi te ad deuorandum. Sup faciem agri cades quia ego locutus sum. ait dominus deus. Et mittam ignem in magog et in his qui habitant in insulis confidenter et scient quia ego dominus deus israel nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei israel et non polluam nomen sanctum meum amplius et scient gentes quia ego dominus deus israel sanctus. Hec dies de qua locutus sum et egredientur habitatores ciuitatum israel et succendent et ardent arma. clipeum et hastas. arcum et sagittas. baculos. manus et contos et succendent ea igni septem annis et non portabunt ligna de ciuitatibus. neque succident de saltibus quia arma succendent igni et depredabuntur eos quibus prediabantur et diripient direptores suos. ait dominus deus. Et erit in die illa dabo gog locum nominatum sepulchrum in israel in uallem uiatorum adorientem maris quae obturabit faciet peregrinantes et sepelient ibi magog et omnem multitudinem eius. Et uocabitur uallis multitudinis gog. et sepelient eos domus israel ut mundent terram. vii mensibus. Sepelient autem eos omnes populi terre et erit eis notata dies in qua glorificatus sum. ait dominus deus. Et uiros ingredientes assignabunt peregrinantes terram. qui sepelient et residentes eos qui remanserint sup faciem terre ut emundent eam. Post menses autem septem

quirere incipient et circumibunt peregrinantes terram. Cumque uiderint os hominis statuent iuxta illum titulum donec sepeliant illum pollinctores in uallem multitudinis magog. Nomen autem ciuitatis amona et mundabunt terram. Tu quoque fili hominis. dic omni uolucri et uniuersis auibus. conuenite et festinate agri. Hec dicit dominus deus. Ecce ego aperiam coram uobis aduentitiam meam. undique enim ego immolo uobis. immolatione grande super montes israel. ut comedatis carnes et bibatis sanguinem. Carnes fortium comedetis et sanguinem principum terre bibetis. Arietum. agnorum. hircorum. thaurorum. omnium pinguium comedetis adipem in satietate et bibetis sanguinem in ebietate de uictima quam ego immolo uobis et satiabimini super mensam meam de equo et de eq̃ite fortis et de uniuersis uiris bellatoribus. ait dominus deus. Et ponam gloriam meam in gentibus et uidebunt omnes gentes iudicium meum quod feci. et manum meam quam posuerim super eos. Et scient domus israel quia ego dominus deus eorum a die illa et deinceps et scient gentes quia iniquitate sua capta sit domus israel eo quod reliquerint me et absconderim faciem meam a eis et tradidi eos in manus hostium et ceciderunt in gladio uniuersi. Iuxta immunditiam eorum et scelus feci eis et abscondi faciem meam a illis. Propterea haec dicit dominus deus. nunc reducam captiuitatem Iacob et miserebor omni domui israel et aemulabor pro nomine sancto meo et portabunt ignominiam suam. et omnes praeuaricationem suam qua praeuaricati sunt in me cum habitauerint in terra sua confidenter. nemine formidante. et reduxero eos de populis et congregauero eos de